


PA
6661
D35H3



INDEX LECTIONUM

IN

**VNIVERSITATE
LITTERARUM VRATISLAVIENSI**

PER AESTATEM A. MDCCCLIII.

A DIE XI. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

INSUNT FR. HAASII AD L. ANNAEI SENECAE DIALOGORUM LIBRORUM VI.
ADNOTATIONES CRITICAE.



TYPIS VNIVERSITATIS.

.Sis

PA
6661
D35 H3



0419

RECTOR ET SENATVS

S. P. D. COMMILITONIBVS.

Cum proponimus vobis. commilitones humanissimi, copiosissimum scholarum indicem, quae in vestrum usum vobis et plurimae numero et genere diversissimae offeruntur, facile existimabitis, qui olim voluerunt in academiis nostris tot ac tam varia litterarum studia coniungi, hac id eos mente fecisse, quod vetere praecepto crederent nihil humani a nobis alienum esse; quo praecepto ut imprudenter ii abutuntur, qui leves per omnia studiorum genera vagantur, ita magna cum utilitate utuntur ii, qui cum in uno studio sedem certam ac stabilem fixerint, simul tamen cognoscere student et qua id necessitudine cum reliquis cohaereat et quae eius origines, quae fata, qui gradus fuerint; ita enim continget, ut non in uno quasi angulo litterarum defixi haereant et tamquam sutores quidam ultra crepidam suam nihil videant, sed cum et studiorum et temporum omnium continuam quandam cohaerentiam esse intelligant, quidquid ex aliis studiis aliisque temporibus utilitatis peti potest, id omne circumspecte et sapienter in eas quas ipsi colunt litteras convertant. Quamobrem iidem maiores nostri, qui tam diversa litterarum genera in una academia vel in uno, ut olim dicebant, studio generali comprehenderunt, publicum academiae oratorem ex eo potissimum studiorum genere creaverunt, in quo reliqua omnia habent communem fontem et vinculum; id autem antiquis litteris contineri ii quoque fatentur, qui mira vanitate in praesentium temporum doctrina adeo sibi placent, ut praestantissima superiorum seculorum ingenia contemptui habeant. Quare vetere more nos quoque, cum de omnis generis scientia scholas vobis indicimus, ex antiquitate petimus praefationis argumentum, et iterum vobis L. Senecam proponimus, cuius dialogorum librum VI, qui est inter reliquos facile princeps sed idem multis locis graviter depravatus, diligenter emaculare studuimus; in quo libro non solum philosophi habebunt, quae de eius argumento et fontibus quaerant, sed etiam theologi cognoscent, quam prope saepe ad christianam doctrinam Stoicorum accesserit philosophia, et iureconsulti videbunt, quomodo *exemplum auctore* Seneca appellaverit c. 10, 3. et medici, quomodo cum alia tum *sin-*

gultum dixerit, siquidem dixit. c. II, 4. itemque historici et alii haud pauca vel lectu iucunda vel utilia cognitu reperient. quae omnia ut omnes quoad eius fieri potest recte emendata legere queatis, philologorum studiis provideri debet; de his igitur pauca haec accipite, quibus quid in Teubneriana Senecae editione quibusque de causis novatum sit explicavimus.

L. Annaei Senecae dialogorum liber VI. ad Marciam de consolatione.

CAP. I. 2. *qualem te in persona patris tui gesseris*] Fuit haec vetustarum edd. scriptura, quam mihi non recte videntur sprevisse, qui post Muretum Senecam ediderunt secuti illi codicum auctoritatem, in quibus legitur: *in personam*; ac poterant sane et librariis olim et nuper editoribus fraudi esse vulgaria de rectione *in* praepositionis praecepta; ceterum et alibi sit, ut *in* cum ablativo posita significet rerum quoddam genus vel conditionem quandam, in qua aliquid fiat, non autem eam inter nomen et verbum necessitudinem, quae aut proprie localis est aut translate; et in hac de qua agitur formula id ita esse satis docere poterat Senecae consuetudo diligenter observata, qui semper dixit *in persona*, sive accusativum requirere sequens verbum videatur sive ablativum; atque in Marcia quidem satis perspicuum est non quaeri id, quomodo *affecerit patrem* eo quod talem se gessit, qualem Seneca praedicat; sed ipsa per se spectatur et virtus illa, cui probandae pater occasionem praebuit idque etiam ita ut ad ipsam virtutis eius sensus pervenire non posset. Facile igitur apparet, cur Seneca scripserit ep. 18, 15. *in omnes personas hic exardescit adfectus*; cf. infra c. 7, 4. sed in formula illa constans usus est; vid. de benef. III, 21, 2. *idem e contrario sit in persona servi*. ib. IV, 40, 2. *quid amplius in horum persona possum quam velle?* ubi rursus editores idque contra librorum mss. fidem *in personam* scripserunt. de clem. I, 2, 1. *habet haec (clementia) in persona quoque innocentium locum*. Nat. Quaest. IV, praef. 6. *futuros multos Plancos cogita in persona tua*, ubi item olim fuerunt, qui accusativum mallent. ib. § 15. *non mihi in amicitia Getulici vel Caius fidem cripuit, non in aliorum persona infeliciter amatorum Messala et Narcissus*. quo loco item a me ablativus restitutus est ex uno codice. Dial. XII, 19, 1. *illa quidem (soror tua) adfectus tuos semper sequitur: in mea tamen persona non tantum pro te dolet*. ubi usus ignoratio effecit, ut commate ante *non* posito perversissima sententia oriretur, quam mira in gravissimo errore fiducia enarravit Ruhkopsius. Denique addi potest etiam locus ille epist. 93, 1. *acquiescentiam tuam desiderari, quae tibi in omni persona, in omni negotio superest, in una re deest*. Ceterum dubitandum non est, quin ex iuriconsultorum lingua formula illa fluxerit; vid. Ulpian. tit. VIII, 6. *idem iuris est in persona coelibis*. — CAP. II, 4. *non dico non est causa*] Vocem *est* tuentur codd. paene omnes; nam ii quoque id facere putandi sunt, qui *ex causa* vel *ex casa* habent; quare vocem illam restitui, quae nihil incommodi habet, requirit tamen interpunctionem sententiae a vulgari diversam, qua ego usus sum. — CAP. III, 2. *nec plus doluit quam aut honestum erat Caesari aut aequum matri*.] Revocavi

scripturam inde a Gronovio vulgatam *matri*; nam quod F. e sua coniectura posuit *aequum in alio*, id quamquam proxime accedit ad optimi cod. A. et Berol. scripturam *aequo malo*. nullo tamen alio nomine placere potest; voluit enim Seneca iustum illud dolendi temperamentum significare, quod apte coniunctis contrariis officiis efficitur; atque in Livia poterat Caesaris splendor hanc vim habere, ut matris dolorem nimis facile exueret; poterat item maternus adfectus adeo vehemens esse, ut in odium vel contemptum principalis fortunae erumperet. Contra si *in alio* scribamus, materni amoris nulla ratio habetur, pro Caesare vero alius quisvis ponitur, cuius fortunam si tenuiorem aliquam fingimus, ieiunum est dicere in hac quoque consolationis aliquid inesse; quid vero, si adeo mala sit, ut dolorem non solum non minuat, sed etiam augeat? Quare cum alius cuiusvis mentio aut ieiuna sit aut falsa, praetuli auctoritatem codicum Col. et Bong., praesertim cum ne ipse quidem optimus codex adeo longe ab illis discedat, ut non possit vitiosa eius scriptura ex illa orta esse. Ceterum simili orationis forma in commendanda eadem dolendi modestia usus est Seneca Dial. XI. 18, 6. *Sic rege animum tuum, ut et sapientibus te adprobare possis et fratribus.* — *ibid.* *cum memoria illius vix[il. quam] nemo potest retinere et frequentare, qui illam tristem sibi reddidit.* Locum graviter corruptum leni ac si non vera, at certe probabili emendatione usus ita correxi, ut neque in verbis neque in sententia offendas; quae enim antea vulgabatur scriptura, tolerari non poterat: *cum memoriam alterius nemo potest retinere et frequentare, quin illam tristem sibi redderet.* quis enim non videt, non ad solam Liviam haec verba spectare, sed communem esse sententiam, in qua non erat imperfectis locus *posset et redderet.* neque *alter* commode dicitur, ubi significatur aliquis vel filius vel alius mortuus, quem alii magnopere et vivum amaverunt et desideraverunt mortuum; et denique illud falsissimum est, quod dicitur nemo alterius memoriam frequentare posse quin illam tristem sibi reddat; nihil enim magis potest abhorre a Senecae mente; vid. Dial. XI, 18, 7. epist. 63, 4. 99, 23. Atque in hac quidem re verior est scriptura illa, quam Fickertus e duobus codd. recentioribus adscivit: *cum memoriam alterius vix homo potest retinere et frequentare, qui illam tristem sibi reddidit.* sed ne sic quidem omnia incommoda sublata sunt, ac plane intolerabilis est indicativus *potest.* Quare aliam emendandi viam ingressus sum, quam monstravit cod. antiquissimus A, qui sic habet: *cum memorialius vix nemo potest retinere et frequentare.* Manifestum est librum unde ille fluxit, in hac parte lacunas habuisse madore vel alio modo ortas; quod cum manifestum sit in depravata voce *memorialius*, non poterit improbable videri in voce *vix*; itaque restituo, quod est in cod. D., *cum memoria illius* et deinde scripsi *vixit*; quae enim antea dicta sunt de Livia memoriam Drusi perpetuo et omni modo celebrante, vix poterant aptius comprehendi quam his verbis: *cum memoria illius vixit*, i. e. quasi comitem per totam vitam habuit filii memoriam, non illam tam brevem, quae non nisi cum dolore maneret; cf. epist. 63, 3. pari modo Seneca *convivere* alicui donum dixit de benef. I, 12, 2, quod ei perpetuo haeret nec in oblivionem abit. Quae deinde sequuntur verba ad memoriam pertinere neminem latet; quare eodem loco, ubi *vixit* vox truncata est, statui excidisse vocem *quam*, in qua non nego esse aliquam offensionem; cum enim communis sit quae sequitur sententia, apparet aliam esse memoriam, quae in pronomine relativo intelligitur, aliam eam, de qua antea agebatur; illa omnium hominum est, haec unius Drusi; non tamen credendum est talem dicendi figuram inauditam

esse, quamquam recentiores grammatici in observanda ea indiligentes fuerunt, quippe qui toti sint in ea discrepantia demonstranda, quae in formis nominum animadvertitur; medio vero aevo ad notionis diversitatem tam accurate attenderunt, ut Florista v. 66 sqq. septem species eius generis distinguat quamvis magis illas subtiliter excogitatas quam Romanorum usu confirmatas, cuius tum cura nulla erat. In Seneca vero ferenda talia sunt, cum etiam ludat figura similissima dial. I, c. 3, 12. ubi de Socrate dicit: *de morte disputavit usque ad ipsam*; et similis illud est, quod infra c. 24, 2 de verecundia, quae ibi Metilli intelligitur, communem adiungit sententiam interposito pronomine relativo *quae*. Sed sive verum est quod ego de coniectura posui *quam*, sive alia ibi scripta fuerunt, in eo certe mihi recte Senecae mentem divinasse videor, quod priorem sententiae partem ad Brusi, posteriorem ad defunctorum omnium memoriam pertinere statui. — *ibid.* § 3. *ipsaque desiderans triste matribus omen occurrere*] Eidebatur vulgo Mureto auctore *occurres* contra libros omnes; contra retinebatur, quod est in omnibus libris *ipsumque*; et Ruhkopfius quidem Muretum Gronoviumque sequens sic interpungebat: *et tuos ipsumque. desiderans; triste — occurres; voluptates — reiciens*, quod nullo modo ferri posse videtur; non enim potest Marcia filium mortuum simul et desiderare et aversari dici, quae sunt inter se contraria; nimirum manifestum est, paucis repeti hoc loco, quae antea pluribus verbis de Octavia dicta sunt; illa enim et alienos liberos et suos aversabatur in unius mortui filii memoria defixa, quem profecto non aversabatur sed desiderabat. Itaque participium *desiderans* si cum antecedente verbo coniungitur, *que* particulam deleri necesse est; si quis Lipsium secutus participium cum sequente verbo coniungi velit, quod est *occurres*, perit illa, quae placere poterat mortui filii cum liberis vivis comparatio, et superest alia, qua illa quoque ratio premitur, difficultas in voce *ipsum* posita; quis enim credet, una hac voce appellari potuisse Marciae filium mortuum, cuius antea nulla mentio fuit? quare ego hanc ipsam vocem corruptam esse ratus, quippe quam imprudens librarius accommodasse videtur ad triste omen, *ipsaque scripsi* et deinde e libris restitui *occurrere*; ita enim aptissime Octaviae illa in lugendo filio pertinacia significatur, quae non invita propter calamitatem suam triste matribus omen occurrebat, quamdiu id vel par erat vel necessitas exigebat, sed quae id ipsa desiderare videretur, cum lugubrem vestem numquam deponeret talisque per omnem vitam esset, qualis in funere. Illud denique apertum est, quam apte in hac mea ratione participium *desiderans* coniungatur cum verbo *reiciens* et quae sequuntur; ut enim triste omen faciunt aves solitariae maxime et lucem fugientes, cf. epist. 122, 3. ita Octavia quoque tenebris et solitudini familiarissima, voluptates honestas reiciens et invita haerens in luce non potuit si quando matribus occurreret, non esse pro tristi omine. Ceterum haud scio an deinde praestet *invita* scribere pro *invisa*; quamquam *lux invisita* dicitur alibi ut ap. Quintil. declam. XVIII. c. 17. extr. denique vocem *permissas* suspicor ab interprete illatam. — *ibid.* § 4. Voces *ac milius*, merito suspectas Fickerto, vellem uncis circumdedissem; manifestum enim glossematis indicium est, quod deest vox *ac* in optimis plurimisque codd., in uno est *et*. Similia exempla cum alibi sunt haud pauca, tum in dialogis haec: II, 12, 3. VIII, 5, 5. X, 6, 4. 14, 5. XI, 4, 1. infra c. 11, 2. 12, 3. 23, 1. 26, 5. cf. Drakenb. ad Liv. IV, 55, 5. Paulo post vocem *malum* nolui cum F. abicere, in qua quae sunt codicum discrepantiae, eae hoc solum comprobant, usum eius vocis ignotum fuisse librariis; nec movet me quod, si recte memini, apud Senecam nullum praeterea eius usus exemplum reperitur;

tanta enim est Ciceronianorum exemplorum similitudo. vix ut dubites ea Senecae h. l. in mente fuisse; vid. maxime Accus. in Verr. II, 17, 43. *Quae, malum, ista fuit amentia?* ib. I, 20, 54. *Quae, malum, est ista tanta audacia atque amentia?* cf. Phil. I, 6, 15. X, 9, 18. Offic. II, 15, 53. Adde Liv. V, 54, 6. Gell. XII, 1, 17. XIII, 12, 8. XV, 31, 4. Vopisc. Tacit. c. 5. quae omnia habent eandem speciem, in qua soli comici non continentur. — ibid. *est enim quaedam et dolendi modestia. illum ipsum iuvenem, dignissimum [qui te] quietam semper nominatus cogitatusque faciat, meliorem pones loco, si* —] Magnopere hic locus viros doctos exercuit neque tamen quisquam eum sic aut emendavit aut interpretatus est, ut non gravissimae offensiones superessent. Ac primum quidem illud constare debet primis verbis communem contineri sententiam, in quam non potest intrudi sequens accusativus tanquam a dolendi verbo pendens; ne quis enim cum Fickerto paucisque aliis editoribus faciat, satis declarat ipsa sententiae forma, qua magnopere Seneca delectatus est; vid. epist. 99, 21. *est aliquis et dolendi decor.* ib. § 2. *discant quasdam etiam lacrimarum ineptias esse.* epist. 63, 2. *est aliqua et doloris ambitio.* Dial. XI, 15, 5. *iudicavit non militandi tantum disciplinam esse servandam, sed etiam dolendi.* epist. 52, 12. *est aliqua et laudandi licentia.* Quare accusativum *illum ipsum iuvenem* necesse est coniungamus cum illis: *melioe pones loco*; nam Gronovii ratio probata a sequentibus editoribus pluribus nominibus reprehendenda est; scripsit enim sic: *dignissime quietum semper nominans cogitatusque facies, et melioe pones loco*; in qua scriptura non minus quinque discessit a veterum librorum fide; orationem autem effecit contortam et Seneca parum dignam; voluit enim verba illa: *dignissime quietum* bis intelligi, ita ut iuvenis et per se talis sit et talis item a matre nominetur et cogitetur; sententiam denique Senecae tribuit ab hoc loco alienam; non enim hoc agitur, quomodo possit mortuo Marciae filio quies dignissime parari, sed ipsa Marcia quomodo ad quietem et dolendi modestiam perveniat. Iam vero cum satis intelligatur, in verbo *faciat* iuvenem subiectum esse, siquidem optimos libros secuti scribimus *quietam semper nominans cogitatusque*, cumque iam antea demonstratum sit, accusativum *iuvenem* cum verbo *pones* construendum esse, efficitur verbis illis contineri sententiam secundariam primariae interpositam, quam ego sic restitui, ut pro eo quod in libris est *dignissime quietam*, scriberem *dignissimum qui te quietam*; itaque cavi, ne plus quam uno loco a codicum scriptura recedamus, nec potest mutatio iusto audacior videri; facillime enim *qui te* voces ante syllabas simillimas excidere potuerunt, praesertim si antecedens vox *dignissimum* non plene scripta fuit, sed vel *dignissim.* vel *digniss.* pari modo ortum videtur, quod infra c. 22, 3 legitur in A. cod. et aliis plerisque *proxime* pro eo quod verum est, *proximum*; saepe autem voces in hoc maxime libro truncatas habere codicem omnium praestantissimum A. dixi in vol. I. praefat. pag. VII. quae res videtur non esse huius sed alius codicis scribae tribuenda, e quo Mediolanensis derivatus est. Ceterum ad firmandam emendationem meam hoc quoque addam, solere Senecam, ubi de hominibus rebusve iudicium facit, saepissime uti hac formula: *dignus qui* — aut *dignus aliqua re*; vid. infra c. 9, 5. 13, 2. Dial. IV, 23, 3. 33, 6. V, 14, 4. 18, 2. de benef. IV, 37, 4. III, 37, 2. VI, 31, 12. Tota denique oratio quam nunc commoda sit, quamque apta sententia, nolo verbis pluribus enarrare. Illud unum fortasse vitiosum, quod in fine *occurrit* legitur, ubi malim *occurret*. — CAP. IV, 2. *consol[atori se] Areo praebuit*] In optimo cod. A. scriptum est vitiose *consolatoreo*, unde varii orti re-

centiorum codd. errores, in duobus autem plane abiectae sunt syllabae illae *consol* et scriptum *se Arco*, quod nollem probasset F.; certe scriptum oportuit *Arco se*; sed profecto *se* pronomen eodem loco excidit, ubi antecedens vox in fine truncata est; quare aut quod olim edebatur scribendum est *consolandam se Arco*, aut quod ego propter quandam litterarum similitudinem probabilius esse credidi *consolatori se Arco*; possis etiam *consolatur* *se* aut *consolanti se* coniectare; nulla enim in codd. causa est, cur non omnia haec pariter verisimilia putentur. — *ibid.* § 4. *collocatis* scripsi cum optimis codd., quod non video cur non probetur; vulgo edebatur *collocatis*, F. vero ex uno cod. recentiore *collocatos* scripsit. — **CAP. VI, 3.** Vocem *mare* omittit cod. A cum G, quorum tamen uterque eam supra adscriptam habet, ut dubites sitne errore omissa an ab interprete addita, qui non videret, *naufragium* intelligi posse. — **CAP. VII, 2.** Nimis fortasse tenax fui scripturae codicum editionumque tantum non omnium, cum *redierint* restitui, quod Fickertus auctore uno cod. D. in *redierunt* mutavit; videtur tamen illud quoque aliquam defensionem habere; cum enim protasis duplex sit, utraque e *cum* particula apta, non tamen ita, ut parem utraque dignitatem habeat sed ut altera alteri illata sit, prior nil nisi tempus significat; *cum* enim dictum fere est ut *postquam* vel *ubi*; posterior vero habet vim causalem vel restrictivam, ut *cum* pro *quamvis* accipiatur et antecedit rem miram et inexpectatam, quae in apodosi est, quo sensu Seneca alibi saepe dicit: *cum omnia fecerint, cum multa fecerint* et quae his similia sunt: vid. Ep. 11, 6. 87, 7. 89, 21. 90, 39. 94, 67. 100, 5. 124, 22. rem. fort. 2, 2. Dial. XII. 20, 1. infra c. 17, 5. — **CAP. VIII, 2.** *nunc te ipsa custodis*] Dixi de hoc loco iam in adnott. crit. ad Dial. V, 27, 5. ubi quamquam ipsam quidem sententiam Senecae recte exposui, tamen iterum iterumque considerato loco simillimo epist. 63, 3. adducor ut credam iure damnatam esse quam tum defendebam codicum scripturam: *non te ipsa custodis*, et probandam eam, quae est in edd. omnibus: *nunc te ipsa custodis*; nam etiamsi loci illius similitudinem negligas, quae superiores interpretes fugisse videtur, tamen vel sic praestat *nunc* scribere quia, si *non* dixisset Seneca, vix dubites, quin *custodis* scripturus fuerit; quoniam autem *custodis* scripsit, manifestum est, non voluisse eum dicere tertium, quod paulo ante iam bis dixit, fore, ut tristitia Marciae vel nolente ipsa extinguatur, sed adiungit potius causam, cur id nondum factum sit aut fiat; nunc enim adhuc ipsam se Marciam custodire, ne aliud agendo animus relaxetur. Ceterum commutari inter se voces *non* et *nunc* cum alibi saepe observatum est, tum in Senecae libris haud pauca exempla docent, quae passim Fickertus in scripturae discrepantia adnotavit; quorum pauca, sed tamen aliqua sunt e codd. optimis; de ipso cod. A. vid. vol. III, pag. 378. de cod. Paris. p. vol. I, pag. 123. de vetere codice Bambergensi Nat. Quaestt. vid. vol. III. pag. 702. 710. de Nat. Quaestt. cod. optimo Berol. vid. vol. III, pag. 457 extr. 463. 508. 581. 644. e variis libris recentioribus exempla sunt vol. III, pag. 309. 378. 502. 578. 707. 710. vol. II, pag. 355. vol. I, pag. 257. 261. — **CAP. IX, 2.** *Quae multo ante procul visa sunt*] Quod in codd. mss. est *ante percussa sunt*, unus defendere conatus est F., qui sic interpretatur: quorum vis multo ante (cogitatione) fracta est; ego tali interpretationi vel audacissimam emendationem praefero si et latina sit et ad sententiam apta. itaque probabilius mihi visum est scribere *procul visa*, ut in oratione abundantiore simul et tempus indicatum sit et locus; cf. ad Dial. I, 4, 3. nec desideres *et* particulam; similiter in pari abundantia dixit Seneca Dial. XII, 13, 3. *in*

universum semel vincitur. Quae de aliorum coniectura in edd. scripta sunt *provisa* aut *praevisa*, hac una difficultate laborant, quod quomodo in *perculsa* corrumpi potuerint, non satis apparet. Ceterum Seneca ipse in eadem re dixit *multo aule prospicere* Dial. XII, 5, 3. ad sententiam cf. epist. 76, 34. 78 extr. — *ibid.* § 3. *expositum* scripsi, quod praeter unum Palat. 4. in omnibus codd. legitur, item paulo post *securum* et c. 18, 1. *intraturus es.* et *ib.* § 7. *spectator et ipse*; praeterea c. 17, 1. pariter *genitus es* scriptum volui. sed festinans vulgatum scripturam *genita es* intactam reliqui; omnibus enim locis illis editores neglecta librorum mss. auctoritate femininum genus ponendum censuerunt, frustra ideo reprehensi ab Heusingero in Emendatt. pag. 241 sq. accedit quod c. 18. 4 *salutis* mutaverunt in *salutatos*. Scilicet non est credendum, ad Marciam illis locis orationem spectare; nec profecto tam inconsiderata eloquentia utitur Seneca, ut cap. 9, 3 feminam eamque semermem iubeat inter tela vibrantia obsidionem subire; nec c. 18, 7 de femina dicere potuit illa: *ridebis nihil humanae audaciae intemptatum erisque et spectatrix et ipsa pars magna conantium.* quasi vero femina illa alter quidam Aeneas esset Aeneaeque verba iactare posset! vid. Virg. Aen. II, 5 sq. Sed qui recte noverit Senecam, facile intelliget praeter eos locos, in quibus ad ipsam Marciae personam orationem convertit, alios esse in quibus more suo loquitur tamquam philosophus in magna audientium corona publice disputans, itaque quemadmodum in aliis libris, qui uni alicui amico inscripti sunt, saepe plures compellat, ita hic quoque c. 9, 4 ait: *quis unquam vestrum de exilio, de egestate, de lectu cogitare ausus est?* Quare fore spero, ut locis illis quos dixi, grammaticorum filii omnem de masculino genere per solocccismum pro feminino posito sollicitudinem abiciant. — *ibid.* § 4. *si admonetur ut cogitet, tamquam dirum omen respuat*] Gronovium proximosque editores secutus scripsi *ut cogitet*. lenissima adhibita mutatione; in codd. mss. enim et plurimis et optimis est *et cogitet*; contra deest vox *cogitet* relicta non eleganter *et* particula in duobus codd. quos secutus est F. glossema esse ratus vocem *cogitet* ex antecedente verbo *cogitare* ductum; ego non sine causa et reticissime idem verbum repetitum esse existimo; non enim iis. de quibus agit Seneca, satis est admoneri, sed ipsos necesse est cogitare ad omnes se fortunae ictus expositos stare, ne dicant, quod deinde sequitur: *non putavi futurum.* — *ibid.* § 5. *egregium versum et dignum qui non e populo exiret.*] Nihil mutandum putavi h. l. nisi quod pro corrupta codicum voce *eriet* scripsi *exiret* hac sententia: dignus esset hic versus, qui non efflueret e populi memoria, etenim etiam alibi Seneca quamquam mimos ipsos contemnit, multos tamen in iis versus esse iudicat disertissimos et dignos qui memoria semper retineantur; vid. epist. 8, 8. 9, 21. 94, 28. 43. 108, 9. 11. Quod F. scripsit: *dignum qui e Publio exierit.* longe a codicum scriptura discedit et locutionem habet vehementer incommodam; quanto enim et brevius et simplicius erat in illam sententiam scribere: *egregium versum et dignum Publio.* — Paulo post pro *praevidimus* scripsi *providimus*, quod praeter codicem g. habet etiam A a secunda manu; neque enim probabile est id glossema esse, quo nihil opus erat, sed est correctio librarii librum archetypum denuo conferentis. — CAP. X, 4. Fortasse restituendum erat, quod habet codex optimus cum aliis *nescitis in fuga vivere.* — CAP. XI, 1. Scripsit F. *in dolores humanum pectus dispensandum*; idem coniecit: *in dolores humoni pectoris dispensandae*, quod ego praetuli quia propius accedit ad scripturam codicis A: *humani pectus dis-*

pensanda. in quo etiam paulo ante scriptum *belua pro beluae*; c. 7, 3. *a qua pro ea quae*; c. 11, 4. *aura pro aurae*. c. 18, 5. *quarum alia pro aliae*. c. 22, 8. *quanta pro quantae*. c. 26, 7. *ruina pro ruinae*. nec illud rari exempli est, quod *pectus* est scriptum pro *pectoris*. — Deinde scripsi *quae deinde* ex cod. A. pro vulgato: *quae demum*. — *ibid.* § 3. scribendum erat *opus est*. non *est opus*. Paulo post quod inde a Mureto edd. omnes habent: *quorum modum copia modo inopia rumpitur*. quamquam et sententia et verbis aptum est, verum tamen non potest videri, postquam intelleximus in cod. A. legi: *quorum modum in inopia rumpitur*; neque ulla alia est scriptura, quae non ex illa derivata sit; quare cum non solum verba, quae sunt in cod. A., intelligi nullo modo possint, sed etiam sententiae pars desit, copiae enim mentionem desiderari recte Muretus perspexit, manifestum mihi videtur verba aliquot excidisse, quae si supplere conamur, non ideo reliqua quoque attractanda sunt, id quod Muretus fecit; ego igitur nulla littera in codicis A. scriptura mutata sic supplevi: *quorum modum [in copia excedens res] in inopia rumpitur*; atque ita simul causa lacunae apparet; aberravit enim librarii oculus a vocibus *in copia* ad similes illas *in inopia*. Sed quamvis haec plausibilia videantur, vanus tamen sit, qui non concedat, posse aliud quid et melius a Seneca ipso scriptum esse. Ceterum copiam et inopiam similiter coniungit Dial. VII, 14, 1. — *ibid.* § 4. Sequuntur rursus verba corruptissima, quorum partim videor mihi emendationibus certis in integrum restituisse, de reliquis alii viderint. Versamur autem in loco communi, quem saepius Seneca exornavit, de hominis imbecillitate mortisque causis plurimis ac levissimis. cf. Nat. Quaest. II, 59, 3. 9 sqq. VI, 2, 3—6. 32, 2—5. epist. 120, 15 sq. M. Seneca suas. II, 6. VI, 15. Debet autem omnis emendatio a cod. A. proficisci, in quo hic locus sic habetur: *praecare spiritus et male haerentis qua purum reptinuum andiet et improviso souns auribus gravis excedit, soli semper sibi nutrimentum vitiosum et inutili. miramur in hoc mortem quae unius singulis opus est?* Levia in his menda sunt et dudum correctam *praecare pro precarii* et *inutili* pro *inutile*; sed in postrema sententia cum omnes librarii recentiores pro *singulis* scripsissent *singulis*, in quo editores omnes acquieverunt, aucta potius est quam sublata loci depravatio; quis enim credat hoc latine dici potuisse aut sensum ullum habere: *mors unius singulis opus est*. quasi vero hoc inculcare operae pretium sit, non binis pluribusve mortibus unum hominem perire; et quid putabimus hanc sapientiam ad levandum Marciae dolorem prodesse? aut quomodo *opus esse* dici potest, ubi de necessitate raturae agitur? Non multo melius est neque quod ante F. legebatur ab Erasmo inventum: *mo. tem unius qua singulis opus est*. nec quod ante Erasmum vulgatum erat: *mortem unius quae singulis opus est*; nam quamvis tolerabilis sententia haec sit, non mirandam esse unius hominis mortem, quae subeunda omnibus necessario sit, tamen neque verba ad eam sententiam apte delecta sunt neque tale est orationis consilium, ut sententia illa interponi possit; agi enim de mortis causis minimis et innumerabilibus et antecedentia demonstrant planissime et sequentia, quae per *enim* particulam adiunguntur. Ruhkopfius quidem haec sic enarrat: „Quum tot tantaque sint, quae hominis vitam consumant, miramur, unum hominem mori, ad quam singula, quaedam valent?“ qua interpretatione quid faciam nescio, nec opus est quaerere; nemo enim negabit, recte me *singultus* scripsisse pro *singulis*, mutatione paene nulla; nam *i* et *t* litterae in cod. A. solent permutari; veluti idem habet hoc libro c. 1, 4. *florei* pro *floret*. c. 10, 3.

ametu ire cessura pro amet ut recessura. c. 18, 7. *ei spectator pro et spectator.* c. 23. 5. *indictum pro indicium;* c. 26. 6. *in alium pro in allum.* Dial. I, 3, 1. *ei recte pro et recte.* Dial. VIII, 5, 7. *ei usque pro et usque.* Dial. IX, 1, 8. *paedagogit pro paedagogii.* sic supra c. 5, 2. *aliud ortum, cum esset altum.* et vid. infra ad c. 21, 6. Apparet iam longe alio et longe aptiore sensu dici mortem unius singultus opus esse; intelligitur enim quod Seneca alibi dixit *ultimum suspirium*, Nat. Quaest. VI, 32, 8. ac ne quis dubitet, addo locum Quintil. declamatt. XIX, c. 15. *ille, quo redditur anima, singultus.* Si quis forte de suspirio illo cogitandum esse censet, de quo narrat Seneca epist. 54. mihi nihil interesse videtur, quo quis modo ad postremum illum singultum pervenerit; nam in morbo saepeque illo unus tantum est, qui finit vitam; „facit enim aliquando spiritus ille, quod saepe conatus est“ ut ait Seneca ep. 54, 2. Redeo ad verba antecedentia, quae F. sic scripsit: *qua. parum repentinum cum audit et ex improviso. sonus auribus gravis excutit, soli semper sibi nutr. v. et inutile.* in his *parum* particulae vim minus usitatum tribuit, quam comprobare studeo loco epist. 116, 6. puto voluit dictum esse pro *temperate. modice*; sed totae sententiae quam vim tribuerit, neque ipse dixit neque ego reperio. Audacius Gronovius ut tolerabilem sententiam eliceret, Lipsii vestigia sequens sic scripsit: *quem pavor repentinus adiectusve ex improviso sonus auribus gravis excutit.* Lipsius pro *adiectusve* coniecerat *ut item*; sed ea recte iudicat F. vix posse latere in codicum scripturis. Verum ego me vidisse in hoc arbitror, quod pro *parum* scripsi *partum*, et pro *audiet et improviso* scribere volui *auditus ex improviso*; nam *ex* praepositio per errorem in ed. mea excidit; ceterum nulla in his mutatio defensione eget; nam illud quoque, quod *auditus* pro *audiet* scripsi, in aliis codicibus A. partibus probari non potest, in hac potest, in qua vocum terminationes saepe depravatae sunt, sicuti c. 9, 1. *admonet* scriptum est pro *admonemur*. Quare sententiam habemus de partu repentino, qui non ulla vi maiore sed audito ex improviso sono auribus gravi excutitur, aptam illam profecto loco huic, ubi de hominis imbecillitate agitur, neque eam tamen aut cum antecedentibus aut cum sequentibus verbis commode copulatam; nam illa quae deinde leguntur: *soli semper sibi nutrimentum vitiosum et inutile*, fateor me non satis intelligere, nisi addatur *quaerit* vel simile quid, et quae antecedit vox *qua* obscura est admodum, vix ut sana videri possit, nisi forte eo loco plura alia exciderunt, quibus et ordo orationis restitueretur et *qua* illud commodum explicatum acciperet; vereor tamen, ne haec vox a singulari aliquo vel more vel errore librarii originem habeat; nam etiam Dial. X, 2, 2 eo loco, ubi ego vocem *cura* posui, alii vel *odium* vel *taedium* poni voluerunt, in eod. A. *qua* legitur, et ib. paulo post in versu qui Menandri fertur, aut *qua* corruptum est aut certe post eam vocem excidit *nos*; item Dial. VII, 22, 1 vitiose legitur in eod. A: *in paupertate? qua* —. et rursus ib. c. 10, 3, ubi scribendum credidi *nec si probavit*, in eodem codice est *nec quasi probavit*, unde alii scribere maluerunt *nec quas probavit*, minus, ut puto, probabiliter. Sed quidquid hoc rei est, certe non tam in una hac voce *qua* haeret huius loci difficultas, quam in universae orationis nexu, cui si *qua* potest medicina reperiri, feliciori divinationi relinquo. — Extremo hoc capite recepi quod quamvis truncatis verborum terminationibus sed ita tamen, ut dubitare non possis, habet cod. A. *paucissimorum circulus annorum* pro vulgato *pauci sunt circulus annorum*. — CAP. XII, 1. Fortasse scribendum est *morit* pro *moret*; alioquin etiam

in Senecae usu nimis durus ac praeceps est transitus ad tempus quod sequitur, *cepisses*. Paulo post scripsi *contigit* pro vulgato *collegisti*, quod qui invenit, non habuit profecto aliud ante oculos nisi illud ipsum *colligit*, quod nunc quoque est in codd. A et Col. sed cum tardiore ingenio de verbo ipso non dubitaret, errorem in persona tantum commissum ratus secundam posuit pro tertia; alius vero idem *colligit* licentius mutavit in *cepisti*, recordatus superius illud *cepisses*. Sed verum est quod ego posui *contigit*, e quo ortum est *contigit* et deinde *colligit* eam ob causam, quod *l* et *t* facillime inter se permutantur; eodem modo Dial. VIII, 1, 4. *enili* natum est, cum fuisset *senili*; et supra c. 10, 3. item c. 24, 4. in A et aliis est *exemplum* pro *exemptum*. c. 18. 7. *intemplato* pro *intemplatum*, et id genus alia saepe alibi; quam convenienter autem *contigit* verbum restituatur, apparet ex § 3. ubi in continuanda eadem re idem verbum positum est. — *ibid.* § 3. Vocem *maior* unci inclusi; vid. supra ad c. 3, 4. — CAP. XIII, 1. 3. Manifesta glossemata *pontificia carminia* et *incliti regis nomen* unci inclusa recepi, ut certis eius generis exemplis convincantur, qui in verisimilibus nimis difficiles sunt. — *ibid.* § 2. Addidi *et* particulam ante voces *primus impetus* e codd. ADg. nam in A quod fuerat *est*. recte secunda manus in *et* correxit. — *ibid.* § 4. *et quem magis poterat permovere tanta mutatio?*] De A codice hoc loco non constare dixit F. in recentioribus vero libris quamquam solet saepe *et quis* pro *ecquis* scribi, ut Dial. I extr. IV, 11, 2. 23, 1. non tamen satis gravis ea causa est. cur consentiens eorum testimonium reiiciatur, praesertim cum hoc loco *et quem* hand paulo aptius esse quam *ecquem*. facile sentias; vult enim Seneca in *et* particula quasi consistere paulum cogitationem, ut intelligatur quanto gravius sit id quod modo dixit, cum etiam accedat quod sequitur; nimirum si voluisset accuratius definire, qua ratione coniuncta sit una sententia cum altera, poterat *et tamen* scribere. — CAP. XV, 1. Verba illa *dis geniti deosque genituri* poteram indicare Senecae non esse sed Virgillii Aen. IX, 642. sicuti illa Dial. II. 10, 3. *tantum de se licere*. quae sunt ex Virg. Aen. VI, 502. sed id facere neglexi. ubi non integra sed aliquo modo mutata poetica verba posita sunt; sed in observanda ea imitatione parum diligentes fuerunt editores, adeo ut nonnumquam etiam totos Virgillii versus ego primus indicaverim. — *ibid.* § 2. *tanquam cuius iam res agebatur*] In cod. A. et aliis non est *tanquam* sed *quam*; facillimum tamen visum est illud restituere cum sit in quatuor codd. et in edd. vetustis; atque etiam Dial. V, 32, 3. *tanquam pro quam* reponendum esse docui; nam quod F. voluit *tam* in antecedente sententia intelligi. non comprobatur idoneis exemplis; et *tamen* particulam aegre desideres, si velis pro ea *tam* ponere. — *ibid.* § 4. *et in quos tot animi bona*] Abest ab edd. *et* particula, quam addidi ex cod. A. in quo deest *in* praepositio, in quibus vocibus frequentissima est fluctuatio, maxime in epistolarum codd. sed hic quoque c. 16, 2 cum in cod. A sit *contempto in hoste*, dubito an recte legatur in cod. g. *contempto et hoste*; *ib.* § 7 vero nihil novi quaerendum in eo quod codd. habent *et inmissarum* vel *et in amissarum* pro vulgato *et amissarum*. cf. ad cap. 18, 6. Ceterum sive addas *et* particulam sive omittas, elegantiam Senecae profecto non laudabis, qui duas sententias relativas pariter iunxerit, quarum impar ratio est; sed videlicet in toto hoc genere saepe Ciceronis artem desideramus, quae ab Senecae ingenio abhorret. — CAP. XVI, 1. *cum muliebribus ingenis*] Restitui scripturam inde a Mureto vulgatam; minus enim probabilis illa coniectura est, quam secunda manus in codicem D intulit et F. recepit *cum mulierum ingenis*; in cod. A vero et aliis plerisque legi-

tur *mulieris*, quod est duobus simul erroribus sed his admodum vulgaribus corruptum; nam primum cum saepe permutantur *is* et *ibus* terminationes, videtur olim simplici vitio scriptum esse *mulieribus*, id quod habent codd. D et Bongarsianus; similiter in cod. Bamb. scriptum est *in collis* pro *in collibus* epist. 104, 33. et contra in eodem ep. 121, 9. *constitutionibus saae*; item in cod. Paris. P. epist. 86, 18. *arboribus* pro *arboris*; in cod. Paris. p. *terroribus* epist. 14, 3 pro *terroris*; epist. 64, 7 *operibus* pro *operis*; qua de causa epist. 60, 2 non recepi quod idem codex habet *elephantibus*. praesertim cum sequatur vox eadem terminatione *pluribus*. Deinde vero *mulieribus* altero errore natum ex *muliebribus*. sicuti Dial. IV, 35, 1 in cod. A scriptum est *funeres*. ego correxi *funebres*. — *ibid.* § 3. et *Caicum Gracchum*] Nomen *Gracchum* non iterum ponunt edd., quod ut est in codd. recentioribus, ita etiam in cod. A. fuisse ex eo colligitur, quod ibi desunt voces *et Caicum Gracchum*; scilicet causa omittendi posita est in ipsa eiusdem nominis iteratione. — *ibid.* § 5. post *continuit* convenientius mihi visum est interrogandi signum ponere. — *ibid.* § 7. *ad damna* scripsi ex cod. A. pro vulg. *in damna*. — *ibid.* § 8. rectius puto scribatur *exple et unum*, quod habet A a sec. manu. cum antea fuisset *explet unum*; et paulo post malim *sacrivet* pro *sacrierit*. quamquam id ex uno tantum cod. g notatum. — CAP. XVII, 3. *sive ipsum in terris flumen*] ita e conjectura scripsi duabus vocibus transpositis; in codd. enim est: *sive in ipsum terris fl.* unde F. edidit: *sive id ipsum terris fl.* alii aliter; ego nondum sanatum hunc locum arbitror. — *ibid.* § 6. *incidisset* restitui. quamquam in A. est *incidi*. vid. vol. I. praef. pag. VII. extr. Paulo post F. codices sequens sic scripsit: *tu si filios sustuleris. poteris habere formosos. et deformes poteris fortasse. multi nascentur: esse aliquis ex illis tam servator patriae quam proditor poterit.* id sic tolerari non potuit; facit enim Seneca ipsam naturam loquentem. quae quam anceps sit omnium parentium in liberis procreandis conditio explicat; quare fieri non potest. ut recte habeant verba illa: *multi nascentur*, quia filios multos fore non certius est quam formosos; et in antecedente sententia id quod fieri potest. satis ipso verbo *poteris* significatum est, ut moleste feras quasi in eumulum accedere ultimo loco adiectum *fortasse*. Quod autem ante F. vulgo legebatur: *poteris et deformes: et si fortasse tibi multi nascentur. esse ex illis* —. id neque a libris mss. praesidium habet et difficultatem ut verbis tegit, ita re ipsa auget; cur enim Senecam hanc conditionem ponere credamus, ut multos nasci filios dicat, cum possit etiam e duobus alter servator patriae existere, alter proditor? nec plures Marcia habuerat. Quamobrem fatendum est haerere adhuc vitium in hoc loco, quod quale sit satis indicat vox *fortasse*. quam Gruterus abiendam iudicavit, plerique incommode ponunt post *si*. quo loco Seneca aeque atque alii *forte* ponere solet; cum autem *fortasse* vox id quod fieri potest significet. efficitur, ut illa quoque sententia bipertita esse debeat sicuti reliquae. quibus interiecta est; denique quoniam videmus quater res contrarias componi, quae fieri pariter possunt. prout fortuna diversa est in filiorum forma, civili virtute, dignatione, aetate, idem etiam in eorum numerum cadere consentaneum est; itaque ipsa rerum necessitate in hanc conjecturam ducimur ut scribendum sit *fortasse pauci. fortasse multi nascentur*. vitiumque ortum videatur quo solet modo in eiusdem vocis iteratione. — Deinde haud improbable est quod habent codices quidam *in ignem positura* pro eo quod est in A et duobus aliis *in igne inpositura*; cf. Dial. V, 23, 6. — CAP. XVIII, 1. *Ad hanc imagi-*

nem *agedum totius vitae introitum referamus.*] Quamquam ad sententiam ipsam non multum interest, aliquanto tamen nunc aptius videtur cum uno cod. g. sic scribere: *Hanc imaginem agedum ad totius v. introitum ref.* quod non fit contra codicis A fidem; in eo enim et aliis deest vox *ad*. — *ibid.* § 2. Adieci uncis inclusum *videre* verbum, quod prope est ut genuinum dicam, quia est in codd. ABGD. quod autem ABG habent *micabis* pro *miraberis*, haud scio an indicio sit aliud vitium hic adhuc latere. Deinceps in A et aliis codd. est *aequaliusque*, quod solus F. tenuit sed non explicavit nec defendit; reliqui *aequaliter* scripserunt, ego *aequaliter usque*. quod in aliis scriptoribus offensionem nullam habet; apud Senecam vero haeret mihi scrupulus de hoc usu vocis *usque*; vid. vol. III. praef. pag. XIV. — *ibid.* § 4. fortasse scribendum: *alia forma rerum aliter mirabilis*. — *ibid.* § 5. *adiuta fructu seges. et arbusta sine cultore fertilitatis*] Sic scripsi secutus codicem A, a quo in hoc tantum discessi, quod *fertilitatis* nomen posui pro *feritatis*. quam coniecturam praeiverat cod. Col.; ante F. vulgo legebatur: *adiuta cultu seges et arbusta sine cultore fertilia*; ipse denique F. recentiorum maxime codd. vestigia legens sic edidit: *ad vitam fructus, seges et arbusta sine cultore feritatis*. quae scriptura parum commoda est, quia non satis perspicitur, quomodo tria illa, fructus, seges et arbusta vel coniungantur vel discernantur; Seneca enim solet eorum quae terra fert, duas partes facere. arbusta et segetem; vid. Benef. VI, 4, 4. vel arbusta et sata. Nat. Quaest. VI, 16, 1. epist. 58, 10. cf. Nat. Quaest. II, 6, 6. III, 27, 4 sq. 29, 2. ad haec non video quomodo tertium genus accedat fructus, nec ratio est hoc uno segetem et arbusta comprehendere, quia hoc agit Seneca, ut varietatem rerum demonstrat; quare rectius in vulgata scriptura duo tantum genera proponuntur, seges et arbusta, illa hominum cura adiuta, haec sine cura fertilia. Sed id ipsum inest in scriptura codicis A.; id enim quo adiuvatur seges, ipsius fructus est, id est semen; similiter dixit epist. 95, 64. *ipsae radices iis quae genere, adiuvantur*. et alibi opponit inter se quae manu seruntur et quae sponte succrescunt; vid. Nat. Quaest. III, 27, 4. VI, 28, 1. epist. 90, 21. quod cum hoc quoque loco fiat, nemo volet *ad vitam* scribere pro *adiuta*. cum illud in re proposita inutile sit, hoc vero ad efficiendam oppositionem necessarium. Denique quoniam non de feris solum arbutis agitur sed de iis, quae etiam sine cultore fructum ferunt, necesse est levi mutatione fertilitatem pro feritate ponere. cf. epist. 90, 21. *plurima cultores agrorum nova inveniunt, per quae fertilitas augetur*. de Benef. II, 11, 4. IV, 14, 2. — Paulo post restitui quod ante F. legebatur: *insulae, quae interuentu suo maria distinguunt*; nam etsi *paria*, non *maria*. est in optimo codice, videtur id tamen adeo importunum et longe petitum, ut malim accusare librarii errorem quam desiderare iudicium Senecae. — *ibid.* § 6. *Quid lapidum gemmarumque fulgor [et] in terra, rapidorum torrentium aurum arenis interfluens*] Legebatur vulgo ante F.: *fulgor et inter rapidorum cursum torrentium aurum a. i.*; F. vero scripsit: *fulgor et inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens*, quod habent quidam codd. recentiores et aliquot edd. In utraque scriptura vituperes quod in illa sententiae parte, in qua lapides et gemmae commemorantur, nulla est loci significatio, quae non deest in reliquis partibus, ac praeterea quod in sequentibus longe discessum est a fide codicis A, in quo legitur, quod ego restitui: *torrentium aurum harenis interfluens* atque id ipsum habent quinque alii codd. mss. et edd. vetustissimae; neque est in iis verbis quicquam offensionis; eadem structura uss. Seneca epist. 100, 5. dixit *aquas cubiculis interfluentes*. quare

cum in superiore sententiae parte non solum desit loci quam dixi significatio sed etiam *inter* vox vitiose sine casu posita sit, sedes vitii potius in hac erit parte quam in sequente; utriusque autem incommodo illi facile sic meoior, ut syllaba *ra* addita quippe ommissa ob initium sequentis vocis *rapidorum*, pro *inter* scribam *in terra*, omittam autem *et* particulam, quae ante syllabam *in* facile videtur addi potuisse; vid. ad cap. XV, 4. itaque cum antea de mari dixisset Seneca, iam dicit in terra esse lapides gemmasque, aurum vero in rapidis torrentibus idque arenis interfluens, quamquam hic genitivo posito non locum proprie sed speciem auri indicavit, deinde ignium faces simul et in terris et in mari emergere subicit, denique oceanum memorat terrarum vinculum, aptissimo in enumerandis variis locis progressu. Magis etiam dubia lectio est in iis quae sequuntur; nam *terrentes* vox cum per se suspecta est, tum a codd. parum firmatur, et in cod. Palat. 2. incertum qua fide adscripsit aliquis „hic plus minus viginti vocibus deficit“. ac deinde *continentis* scripsi e codd. ABG. quia *terras* intelligi posse existimo; reliqui codd. mss. et edd. habent *continuationem*. — *ibid.* § 7. praetuli quod Opsopoeus coniecit et unus cod. D. habet *videbis hic* pro vulg. *his*. quia deinde quoque in anaphora legitur *videbis hic*; deinde *et* particulam, quae facile oriri potuit e sequente syllaba, delendam iudicavi. nisi forte exciderunt aliqua verba aut alia vitia latent; certe illud probandum nunc puto, quod Lipsius et Gronovius non *terrentia* sed vel *terrena* vel *terrestria* scribi voluerunt. — *ibid.* § 8. Duram *corporum animorum* compositionem alii addita *et* vel *que* particula lenire studuerunt; ego malui vocem *mille* repetere, quae per unam litteram scripta facile post syllabam *um* excidere potuit. — CAP. XIX, 1. *videbis* scripsi cum plerisque codd. recentioribus; certe aut hoc aut *videas* praefendum fuit, non *videamus*, quod habent edd.; in cod. A. enim aliisque duobus est *videatis*. Deinde quoniam abest *et* post *illorum* in libris optimis, vide ne rectius emendetur: *cum conspectu*; sic enim *cum* facile perire potuit et *conspectu* habent duo codd. GV. — *ibid.* § 3. Quoniam constat in hoc libro saepe omissas esse vocabulorum terminationes in cod. A. facile fieri potest, ut ab initio scriptum fuerit non *mori*. sed *moriturum*; ac fortasse eodem loco simul perit vox *at*, quam si ante *cogita* addas. nihil causae erit, cur cum Grutero putemus plura excidisse; altera enim pars disputationis, quam hoc loco bipartitam instituit Seneca, sequitur deinde c. 21, 1. — *ibid.* § 5. *Mors dolorum omnium exsolutio est et finis ultra quem mala nostra non exeunt, quae] Legebatur vulgo et solutio*, quod cum optimis plurimisque libris mss. mutavi; item deinde scripsi *quem* pro vulgato *quam*; nam mortem profecto nemo hic intelligere volet; finem autem vix credo usquam a Seneca feminino genere dici; nec debet repetito superiore genitivo finis omnium dolorum intelligi, sed in eius locum succedit ipsa quae sequitur tota sententia relativa; denique finitis *his*, quae per appositionem de morte praedicata sunt, de eadem novi aliquid praedicat per sententiam relativam, ut *quae* sit fere *quippe quae*; quae ratio si cui minus commoda videtur, non tamen adeo grave in Seneca quidem incommodum videri debet, ut ideo optimorum codd. auctoritas spernenda sit; cf. quae dixi ad c. 15, 4. — CAP. XX, 2. *haec est, post quam nihil quisquam alieno fecit arbitrio]* Cum in edd. vulgo scriberetur *quae* pro *post quam*. ut ipsa mors diceretur nihil alieno fecisse arbitrio, recte et necessario legebatur *quicquam* sententia quidem parum apta et ita tantum tolerabili. si in morte intelligerentur homines mortui; nunc vero postquam F. ex cod. A. restituit quod haud dubie verum est

post quam pro quae, manifestissimum est scriptum oportere quisquam, sive id in cod. A. est sive non est. — *ibid.* § 3. *Videō istīc eruces*] F. ex cod. A. posuit adverbii formam *isti*, quam ego ut Senecae tribuam, animum inducere non possum; atque hoc quidem loco apertum est *c* litteram excidisse propterea quod eadem sequitur. Praeterea quantum ego reperi, loci duo sunt, quorum altero F. scripsit *illi* pro *illie* infra c. 25, 2, ubi parum credibile est Senecam ad vitandum hiatum, id quod F. credidit, semel *illi*, semel *illie* in eadem sententia scripsisse, et recte videtur in ipso A cod. secunda manus *illi* in *illie* mutasse; altero loco, qui est epist. 32, 2. Schweighaeuserus ediderat *illi*, quod ipse F. recte damnavit, quamquam id quod ex optimis libris ibi reposuit *illo*, neque recte videtur intellexisse et exemplo certe falso defendit. Quare quae exstant adverbiorum *isti* et *illi* vestigia, non plura aut certiora sunt quam in quovis scriptore inter honorum codicum vitia indages: nec ea profecto sufficiunt, ut iis formis usum esse Senecam putemus. — Paulo post legebatur vulgo: *sed videō et mortem* aptissime; F. *sed* particulam delevit, quae in nro tantum cod. Pal. 3. reperta est; non tamen spernendum erat quod in A et aliis codd. *et* legitur pro *sed*, unde ego *at* feci, quod antecedente *a* littera facile mutari potuit. — Deinde restitui quod vulgo legebatur ante F. *domini*; nam quod in codd. scribitur *dominium*, sive ortum illud ex huius vocis vulgari compendio sive errore sic terminatum propter eundem exitum sequentis vocis, vitiosum certe est: pro accusativo haberi lex grammatica non patitur; pro genitivo autem accipere eam formam multo etiam minus sustineo, quamquam id fieri iusserunt Gruterus et F. — *ibid.* § 4. *quae infelicis reliquiae sunt*] Sic scripsi cum cod. A. et aliis plerisque sublata interpunctione, quae post vocem *caesas* poni vulgo solebat, cum legeretur *quam infelices reliquiae sunt*; ab his enim tum vocibus pendere volebant sequentem infinitivum *superfuisse*, quem ego cum antecedente verbo *vidit* coniungo. Incommodum autem in illa ratione hoc quoque est, quod non apte Pompeii Senecaeque sensus miscetur; certe tempus praesens illud *sunt* vix feras. F. quidem videtur in reliquis eandem rationem tenuisse, sed *quam* voluit in *quae* mutari, quo aliquanto etiam deterior oratio futura erat. Mihi videntur verba illa, quae sunt in codd. mss., aptam atque etiam acutam sententiam habere, quam Seneca de suo interponit; hoc enim dicit, non felicem esse ducein, qui amisso exercitu ipse incolumis evaserit; potius infelicem eum esse qui nullas alias reliquias habeat nisi se ipsum, in eandem sententiam deinde demonstrat, Pompeium quoque salutis poenitentiam acturum fuisse, etiamsi incolumis fuisset. — CAP. XXI. 1. *Primum puta [multum illi superfuisse.]* Non credo dubium esse quin aut vox *multum*, quam exempli causa interposui, aut in eandem sententiam aliud quid exciderit, quod deinde sequentibus verbis dilatatur; nam quae praeterea in promptu est emendatio, ut verbum *comprehende* tollatur, minus placet propterea quod verbum illud nihil habet, cur suspectum videatur; versari autem nos in loco male habito et lacunoso comprobant illa, quae deinde leguntur: *cito cessuri loco * venienti in pactum * hoc prospicimus hospitium*, quorum mihi emendandi nulla ratio succurrit quamquam πολλὰς ὁδοὺς ἐλθόντι φροντίζουσι πλένοις, neque in proxima sententia verum videtur, quod e duobus codd. recentioribus adiectum est *constat*; quo loco si quis nihil deesse credere mavult, cum in cod. A. scribatur *convolvit*, facile corrigas *incredibilis celeritas*; nam *tempus* nomen, de quo F. cogitavit, intelligi nullo modo potest. — *Ibid.* § 2. *quid ergo interest [in] id extendere*] Vocem

in quamquam habet cod. A. cum aliis, recte abiecerunt editores praeter F. omnes; neque ea ulla ratione defendi aut excusari potest; cf. epist. 99, 10. *hoc quod aetatem vocamus humanam, compara immenso: videbis, quam exiguum sis, quod optamus, quod extendimus.* epist. 77, 12. *In hoc puncto coniectus es, quid ut extendas, quousque extendes?* et similiter extendendi verbum saepe alibi dicitur; vid. epist. 110, 4, 122, 3. Dial. X, 15, 4. — Ibid. § 3. *Licet mihi vivaces et in memoriam traditae senectutis viros nomines*] Nihil ieiunius scriptura vulgata: *Licet mihi vaces*, ad quam nollem redisset Fickertus, postquam egregiam plane et facillimam emendationem Ruhkopfius protulit e Lipsii ut ait codice, digniorem illam ingenio Lipsii. *vivaces*; faciliore occasione periit in voce *vivi* prior syllaba Dial. III, 6, 4. Ac fortasse rectius scribas *vivaces*; cf. Sen. Tro. 42. sed vel sic in *et* particula cur haeserit F., causam nullam reperio; certe quod adiectiva et qualitatis genitivi sic tamquam paria iunguntur, adeo mirum non est apud Senecam, ut sit etiam multo frequentius et usu liberiore quam apud Ciceronem. Deinde quod vitii F. in voce *percensens* latere putabat, id ipse intulit repudiata sanissima plurimorum et optimorum codd. scriptura *percenscas*, quae erat antea in edd. paene omnibus; nam quod vetustissimae habent *pertensus*, non erat cur ex illo sterquilinio margaritae peterentur. — ibid. § 4. Legitur in optimis libris mss.: *Deinde si immaturus decessit, (vixit enim, quantum debuit vivere): nihil illi iam ultra supererat.* quae sic primus edidit F. adiectis ad intellectum iuvandum parenthesis signis; sed si quis bene norit Senecae morem disputandi et argumentandi, non poterit talem orationem ferendam putare; absoluto enim primo illo argumento, de quo dicere coeperat § 1., his ipsis verbis ad novum argumentum procedit idque ut solet voce *deinde* praeposita diligenter indicat: est autem ordo disputationis planissimus hic: non est, quod queraris immaturum filii obitum; nam etiamsi superfuisset ei longior aetas, nulla differentia est brevissimi longissimique aevi; at vera nihil ei ultra superfuit; vixit enim quantum debuit, quantum fato ei promissum est; tulit suum, quare cum appareat ipsam novi argumenti summam contineri verbis illis: *vixit quantum debuit*, incredibile est haec in parenthesi poni cum *enim* particula, quasi vero ea iam nota et concessa sententia sit, ad quam liceat quasi obiter provocare. Sed perversam orationem esse etiam alio modo colligi potest: etenim cui cum moreretur nihil ultra aetatis supererat, is profecto non immaturus decessit sed morti maturus; igitur si omittas parenthesis, quod licere debet, sic argumentatur Seneca: si immaturus decessit, non immaturus decessit; quae sic inter se iungi item incredibile est, nisi iniuriam facere Senecae ingenio velis, eademque opera demonstravi non posse probari Fickerti coniecturam, qui quae in parenthesi verba posuit, post vocem *supererat* collocari voluit. Quae cum ita sint, intelligitur haud paulo rectius iam olim in duobus codd. recentioribus emendatum esse sic: *Deinde non immaturus decessit*; atque id ante F. in omnibus edd. fuit; sed ne sic quidem locutum esse Senecam probabile est; obstat primum codicum optimorum auctoritas, in quibus non est *non*. sed *si*, quae nemo credet inter se commutari potuisse neque errore, quia dissimillima sunt, neque consilio, quia ita plana ac facilis sententia fiebat difficilis admodum et manca: deinde non dubito quin aliquanto modestius nec sine aliqua praefatione Seneca refutaturus fuerit querelam Marciae de immatura filii morte; vide enim, quomodo deinde agat § 6: *non est itaque, quod sic te oneres: „potuit diutius vivere.“* cf. c. 22, 1. nec ullum aliud exemplum memini, ubi

Seneca in media argumentatione aliam sibi atque adversario sententiam esse ita professus sit, ut nihil aliud quam illius verbis *non suum* praeponeret. Quare cum utraque ratio, quam adhuc in scribendo et explicando hoc loco inierunt, probari non possit, ego ἦν εἰ σκοπιῶν ἐπίσταν ἴσων μόνην, καὶ τὴν ἐπιδράζει. non enim visum est ullis machinis fieri posse, ut tres illae sententiae, quas supra ex optimorum codd. fide adscripsi, in probabilem et accommodatam Senecae consilio disputationem cōcant; itaque excidisse aliquot verba ratus locum sic supplevi: *Deinde si immaturus* [*decessit tibi. certe fato non immaturus*] *decessit*, neque hoc mihi sumo, ut ipsa Senecae verba restituisse videar, sed demonstrare volui, qui fere potuerit orationis ordo esse, quae erroris occasio. — Paulo post ex cod. A et aliis scripsi *defatigarit*, in quo commode intelligitur senectus; vulgo *defatigantur*. — *ibid.* § 5. In cod. A leguntur haec: *nec illum ulterius diligentiam ut gratia promovebit*. [*Sic habent: illum ulterius diligentiam ex consilio perdidisse.*] *Tulit suum*. Leve illud est, quod *diligentiam ut* scriptum est pro *diligentia aut*; de sequentibus vero difficilis quaestio est; ac reliqui quidem codices in multiplici discrepantia nihil tamen habent, quod ad veram scripturam propius accedere suspiceris quam quae sunt in A cod., a quo qui coniectando longissime discesserunt, ex iis petita est vulgata scriptura haec: *promovebit. scit libenter illum ulterius diligentiam ex consilio perdidisse. Tulit suum*, quae verba Ruhkopfius non puto quod ab omnibus intelligi crederet, sed quia ipse non intelligebat, silentio transmisit; neque ego iis interpretandis operam perdam; F. denique totum illum locum, quem uncis inclusi, tamquam spurium abiecit, non recte, ut puto; nam illud quidem manifestum est voces *illum ulterius diligentiam* spurias sane esse: eas enim librarius ideo adiecit, quia cum duae lineae a voce *illum* inciperent, oculorum errore rursus ad antepenultimam delatus est, eamque iterum perscripsit, deinde animadverso errore sequentem lineam non scripsit iterum, quae pari fere litterarum numero habebat illa: *ut gratia promovebit. Sic habent*, falso autem iteratam non delevit; quare illa: *Sic habent illum ex consilio perdidisse*, non abicienda sunt sed emendanda; haeret autem vitium profecto in voce *habent*, quae in extrema linea posita laeso fortasse codicis margine corrupta est, sicuti etiam voces *diligentiam ut*, quae et ipsae in extrema linea fuerunt, in fine depravatae sunt. Iam vero *perdidisse* verbum adeo non spurium est, ut videatur de industria oppositum ei quod sequitur: *tulit suum*, i. e. de suo nihil perdidit; nec eam inanem harolationem esse, documento est locus geminus epist. 69 extr. *Nemo nisi suo die moritur. nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquis, alienum est.* itaque illata negatione, qua careri nequit, scripsi: *sic habet: nil illum ex consilio perdidisse*. Mirum vero quod in eodem cod. A. in eadem locutione iterum vox *nil* excidit infra c. 24, 2. Atque formulam quidem illam *sic habet* non memini me alibi apud Senecam legere, sed dixit tamen *ita habes* Dial. II, 6, 8. et *habes* Dial. IX extr. Magis dubito quid sit illud *ex consilio*, et eram emendaturus *ex constituto*, quod nunc quoque aptissimum videtur; acquievi tamen in codicum scriptura, quae videtur hanc sententiam habere posse: nihil ex eo perdidit, quod ei divino consilio promissum erat. — *ibid.* § 6. *interiecit* scripsi ex cod. A. et aliis duobus, quod praestat vulgato *interiecit*. — Deinde vulgo edebatur de Pinciani coniectura *erunt vi sua fata*, nam in codd. est *ut pro vi*; cum autem *t* et *i* litterae in cod. A. saepe permutentur, id quod exemplis comprobavi supra ad cap. 11. 4., poterat ea coniectura admodum probabilis videri, nisi obstaret senten-

tia; dicuntur enim *vi sua* agere vel fieri ea, quae aliena ope nec adiuvantur nec impediuntur, veluti *tacrimas* dicit Seneca epist. 99. 18, *vi sua talas*. quas naturalis necessitas exprimit; eodem modo fata quoque *vi sua* ire alibi dici poterant, hoc loco non possunt, quia non cogitatur de alia *vi*, quae fata vincere nequeat, sed de constantia fatorum qua quod promissum est solvunt nec de via unquam declinant; quamobrem ego scribere malui *via sua*. — CAP. XXII., 1. Addidi *vivere* post vocem *expedierit* ex cod. A. Deinde voce *sint*, quam idem omisit, videtur careri posse. Paulo post scripsi: *neque ulla pars*. ut habet codex Mediolanensis D. in marg. in quo saepe scripta sunt quae habet optimus Mediolanensis A, sive ex ipso illa petita, id quod est verisimillimum, sive ex alio simili; in A tamen traditur legi *nequitia pars*, quae si recte dividas sic: *neq. vitia*, et si memineris quod supra ad c. 12, 1. demonstravi, litteras *l* et *t* inter se commutari, facile apparet in scriptura illa potius inesse vocem *ulla*, quam quod F. elicit *alia*. — *ibid.* § 2. *recipit* scripsi ex cod. A et aliis tribus pro vulgato *recepit*. Abieci deinde Phil. Roberti coniecturam a F. receptam: *conservatum iri potuisse aut morbos ita evadere*; ita enim et mala syntaxi *conservatum iri* dicitur pro *conservari* et sententia Senecae pervertitur, quam ego ex optimis codd. restitui una littera mutata; in illis enim *iri* non legitur; ante *morbos* autem habent *neque aut.* neque quod ego scripsi *et*, sed *ut*, quarum vocum frequentissima est confusio; hoc autem dicit Seneca: naturae beneficio Metilio pulcherrimum corpus obtigisse; idem deinde cura summa conservatum esse; sed neminem recipere aut praestare posse. morbos quoque ei nihil damni illaturus fuisse, si diutius ille vixisset. — Deinde scripsi *in adolescentiam* nimis fortasse tenax scripturae codicis A pro vulgata: *in adolescentia*. — Paulo infra recepi quod habet cod. Palat. 2. *proiecti [sunt]*; aegre enim careas verbo substantivo; rectius fortasse conieceris: *provoluti sunt*; sed cum in codd. A et B sit *protoli*, facile credas plures voces errore esse in unam contractas, veluti *proiecti* vel *provoluti sunt toti*. — *ibid.* § 3. Adieci per praepositionem ex cod. D et Pinciani libris; nam accusativum *simplicem dolorem* habent plurimi et optimi; et videtur facilius *per* excidere potuisse quam mutari ablativus, quem tenent edd., in accusativum. — Deinde quod edd. habent *brevitate vitae defunctos*. dubium non est quin ab emendatore sit; legitur enim in uno cod. D recentiore; in reliquis omnibus *vitae* nomen deest; quare quoniam aequa nobis emendandi libertas est et facilior emendatio quamvis veteri praeferrere debet, ego illam vocem abieci et pro *brevitate* scripsi *brevi aetate*, ut vitium tale sit, quale est in cod. Paris. P. epist. 87, 4, qui *propter statem* habet pro vera scriptura *propter aetatem*. — *ibid.* § 5. *consecratur subscriptio*.] Haec est codicum mss. scriptura, quae mihi adeo non falsa videtur, ut etiam acuminis aliquid habeat Seneca haud indignum, quippe cui in statua Seiani consecranda ipsa quodammodo subscriptio et tota delatorum perniciose industria consecrari videatur; quare opus non esse arbitror Gronovii et F. coniecturis *subscriptioe* et *subscripto*. — Deinde scripsi *impetratum* e coniectura, proxime tamen accedens ad codicis A scripturam *imperatum*; cum enim *i* et *t* litterae semel confusae essent, ut fieri solet, simul etiam traiectae sunt. Olim scribebatur *imparatum*, donec Gronovio auctore *imperatum* vulgatum est, in quo intelligunt imperatum ad mortem; sed neque usus ille et ellipsis exemplis satis confirmari potest et videtur hoc aliquanto aptius esse, quod dicuntur delatores impe-trasse hominem; nimirum rogantibus iis potestas data est impetum in eum faciendi; incipiunt

autem impetum facere ita, ut tamquam acerrimi canes sanguinis humani avidi hominem circumlatrent. — *ibid.* § 6. *et* particulam tollendam iudico; neque enim sufficit Gronovii defensio, in qua F. acquievit; cf. c. 26. 1. — *ibid.* § 7. Cum in cod. A et B omissa ut fieri solet in hoc libro, terminatione scriptum sit *ut interpella*, licuit *et interpellarent* scribere, id quod F. praetulit, et *interpellantes*, quod omissa ut particula ante F. vulgatum erat; mihi hoc alterum magis placuit servata tamen ut particula. — *ibid.* § 8. Praepositionem *in* delendam arbitror, ut rectius significetur delatorum consilium. — Deinde voces *paene non licuit* mihi etiam pro Senecae consuetudine nimis abrupte illatae videntur; itaque suspicor ante illas aut unam vocem *alicui* vel *illi* vel aliam, qua Cordus significaretur excidisse aut etiam plures simul, veluti: *otium strevisti quod alicui*, vel similes. CAP. XXIII, 1. Vocem *ponderis* ego cum F. pro glossemate habeo; vid. ad. c. 3, 4. — *ibid.* § 5. De formula *ita est* dixi in praef. pag. V. nec dubito quin eam recte h. l. restituerim; sed quod sequitur verbum *est* nisi unum certe auctorem diceretur habere Pinciani vet. librum, non eram post *iudicium* additurus sed ante vocem *adpetit* loco *et* particulae, quae rectissime aberit. — CAP. XXIV, 4. Locum graviter corruptum cum neque ab aliis probabiliter emendatum viderem et a me recte emendari posse desperarem, talem posui qualis est in optimis libris, additis depravationis et lacunae signis. Ceterum duae sunt emendandi huius loci leges, quas viri docti parum adhuc perpexisse videntur; nam de sententia dubitandum non est quin redeat Seneca ad superiora illa: *Incipe virtutibus illum, non annis aestimare: satis diu vixit*; quae postquam singulatim persecutus est, videtur pro more suo antequam novam sententiam adiungeret, superiorem illam repetivisse. Praeterea non magis dubitandum est quin nova sententia verbis his continetur: *nunc ille tibi magis vacat*, hanc autem Seneca non fingit sed tamquam veram ac certam ponit et rursus deinceps singulatim pertractat; itaque male emendant sic: *quasi nunc ille tibi magis vacet*, propterea quod et vox illa *quasi* et conjunctivus *vacet* ab hac sententia abhorret; accedit quod *nunc* particulam per anaphoram bis positam esse manifestum est, sicuti deinde *numquam* pariter bis ponitur; unde intelligitur prius illud *nunc* non post vocem *quasi* sed in principio sententiae collocatum fuisse. Quare separandae sunt voces depravatae: *filium geri quam si*, quas credendum est de pluribus superesse. quibus et superior sententia repeteretur et progressus fieret ad novam. — Deinde dubito nunc, an rectius vel *erocetur* vel de Pinciani conjectura *avocetur* scribendum sit; cf. de benef. VI, 15, 2. — *ibid.* § 5. Scripsi de mea conjectura *effocatur*; in optimo enim codice alisque pluribus est *effugatur*, in uno B. qui saepe proxime ad A cod. accedit, *effucatur*; solent autem *o* et *u* litterae saepissime confundi itemque *c* et *g*, sicuti paulo ante in A cod. est *efficies* pro *effigies*. Itaque nemo iam probabit quod vulgo legebatur *obfuscatur*, quo verbo neque omnino usus esse Seneca videtur neque si esset, apte hoc loco usus fuisse; ad meam emendationem cf. Dial. X, 2, 4. *adspice illos, ad quorum felicitatem concurrunt: bonis suis effocatur*. — Deinde pro *gravi* scripsi *grave* fortasse minus recte. — CAP. XXV, 1. Certissima emendatione intulisse mihi videor vocem *sui* ante verbum *fugit*, pro qua habent libri transpositis litteris *uis* et *ius* et quod ex mala emendatione ortum in cod. D *uir*; nec placet quod F. coniecit *aufugit*; hoc enim agit Seneca ut demonstret, nullam sui partem Metilium in terris reliquisse, sed totum et integrum excessisse. — Paulo post F. unciis circumdederat voces: *excepit illum*

coetus sacer Scipiones Catonesque, credo quod et structuram sententiae turbare videbantur et colorem habere christianum; atque ego hactenus assensi, ut priora illa: *exceptit — sacer* includerem, Scipionum vero Catonumque nomina apponi vellem ad *felices animas*. quae antea dicuntur. Nunc vero aliter statuo; nam structuram quidem quamquam ita turbatam esse video, ut ne parenthesis quidem auxilio recte corrigi possit, non tamen ideo dixerim verba illa abiicienda esse; similiter Seneca septem sapientes appellavit *sacrum illum numerum* epist. 90, 6. et de Scipione scribit epist. 86, 1. *animum quidem eius in coelum, ex quo erat, redisse persuadeo mihi*; de Catone vero certe non peius eum sensisse certissimum est. quippe quem, ne alias laudes multas afferam, paene supra exemplar suum esse proficitur Dial. II. 7, 1. hunc igitur profecto non minus quam Socratem epist. 67, 7 dicere potuit post mortem *in coelum translatum* esse; cf. epist. 71, 16. quid, quod etiam fratrem Polybii dicit *emicuisse in eum locum. qui solutas vinculis animas beato recipit sinu. et illic libere vagari*. vid. Dial. XI. 9, 8. Quamobrem nolim sacrum illum coetum Senecae eripi; at orationis cohaerentiam quomodo restituemus? nam quod ante F. in edd. erat *utique — liberi* pro eo quod in libris mss. est *interque — liberos*, id dubium non est quin merito spreto sit; nec credo aliam rationem. quae quidem probabilis sit, reperiri posse; quare ego, id quod ipsa structura averum esse monstrat, transponenda verba sic existimo, ut legas: *inter felices currit animas interque contemptores vitae et mortis beneficio liberos. exceptit illum coetus sacer. Scipiones Catonesque. Parens tuus. Marcia, illic nepotem suum — adplicat sibi.* — Iam vide quam pulchre oratio procedat: primo appellat communi laude felices animas, deinde electo de industria uno virtutis genere contemptores vitae et mortis beneficio liberos dicit; tum coetum illum sacrum propriis nominibus significat Scipiones Catonesque memorans, denique ad ipsum Marciae patrem pervenit, in cuius recordatione et oratione aptissime totus liber finitur. Ac ne quis de transpositione illa dubitet, addo aliam, quae nescio quo casu in eadem pagina accidit § 2. eaque etiam certior; quis enim ferat voces illas *invalt enim — respicere* collocatas post *aciem*? quod incommodum nescio num F. crediderit aliquo modo excusari posse; certe non crediderunt Erasmus et qui eum secuti sunt editores omnes; scripserunt enim sic: *permittere aciem invalt. delectat enim ex alto relicta respicere.* sed verbi illius *delectat* in codd. mss. nec vola nec vestigium; et vero si id vel optime a libris munitum esset, plane tamen perversus et intolerabilis deberet sententiarum ordo videri: causa enim, cur *domesticus* interpres praeter ceteros gratus sit, indicata illa per *enim* particulam, in eo posita est, quod *relicta* respiciunt animae felices. quippe quae cum domestico illo interprete communia habuerunt; id autem minus cadit in *profunda terrarum*, quae ad amplificandam sententiam adiecta domesticum interpretem non desiderant, quippe ad quae monstranda quisvis alius interpres idoneus erat. Quare sic ille locus collocandus est: *domesticus interpres. invalt enim ex alto relicta respicere et in profunda terrarummittere aciem. Sic itaque.* — *ibid.* § 3. *erubescere quicquam humile aut volgare [facere] et mutatas in melius tuos flere* Verbum illud *facere* miror quod superiores editores abesse facile passi sunt; ego qua id ratione abesse possit non reperio; ceterum idem in optimis codd. excidit Dial. VII. 11, 1. in sententia illa: *cum dico me nihil voluptatis causa facere.* — In extremo capite scripsi: *tramites omnium plani.* quia *omnium* est in codd. et videntur sic dici posse tramites in omnia ducentes vel quos omnia habent;

ceterum in iisdem codd. legitur *plena*, nec video quomodo quae sequuntur possint aut ad tramites omnia aut ad mortuos Marciae cognatos referri; quare suspicor in hoc loco grave adhuc vitium haerere. — CAP. XXVI, 1. Particulam *et*, cui F. vim explicativam tribuit, ego ferendam hic non magis existimo quam supra c. 22. 6. — *ibid.* § 2. Rectissime F. vidit in scriptura illa optimi cod. A et aliorum: *quod inte domus status inte ipse ad maiores recepit suos* terminationes esse omissas; itaque pro illo *inte* eandem vocem bis reponebam ratus scripsit: *quod integro domus statu integra te ipsa ad maiores se recepit suos*. Atque ipsam quidem emendandi rationem probo, sed eadem paulo aliter utor; nimium enim videtur et *te* addere et pronomem *ipse* mutare in *ipsa*, praesertim cum in integro domus statu ipsa etiam Marcia comprehensa sit; praeterea *se* pronomem facilius excidere potuit post *ipse*; itaque sic scripsi: *quod integro domus statu integer ipse se ad m. r. s.* Ipse quomodo integer fuerit intelligitur ex c. 22, 2. 3. 23, 3. 24, 3, eodemque pertinent verba statim sequentia. — *ibid.* § 3. Locus adhuc corruptissimus visus est, quem e Bongarsii coniectura F. sic edidit: *cibo prohibitus ostendi quam magno me iuaret animo scripsisse*, ancipiti et parum verisimili verborum collocatione, quam F. quidem sic explicat: *quam me iuaret magno animo scripsisse*; poterat etiam sic: *quam magno animo scripsisse me iuaret*. Alii cum quibusdam codd. eodem servato ordine non *iuaret* sed *iurat* ediderunt. Gronovius scripsit: *quam magno et quam vivaci animo scripsissem*. Tota depravatio orta est e duobus tribusve vitis, quae qualia sint optime docet cod. A. in quo scriptum est: *quam uibar animo scripsisse*. deinde non correcto illo *uibar* omissa verba in margine addita haec: *magno me quam*, quae ab aliis deinde inter voces *quam* et *uibar* illata et varie emendata sunt; mihi vero videtur librarius facili errore non accurate supplexisse omissa; vocem *quam* enim ex abundantia addidit non quia omissa erat sed ut indicaret, in qua voce scriptura continuaretur; praeterea *tam* vocem quae erat re vera omissa, neglexit. Quare ego sic scribendum putavi: *ostendi tam magno me quam videbar animo scripsisse*, qua emendatione nihil facilius; vid. praefat. pag. VIII. nec desunt similes sententiae; vid. Dial. XI, 11, 6. *ne commiseris, ut quisquis — scripta tua mirabitur, quaerat, quomodo tam grandia tamque solida tam fragilis animus conceperit*. — *ibid.* § 5. Nisi forte verum est, quod habent duo codd. recentiores *contextam seriem*, putaverim *seriem* glossema esse adiectum ad *contextum*; vid. ad c. 3, 4. — *ibid.* § 6. Suspecta mihi visa est, vox *secum*, quae deest in A cod. sed est tamen in margine addita. — Multa sunt praeterea etiam in iis, quae tangere non licuit, dubia ac difficilia; sed quoniam totum librum pertractare huius loci angustiis prohibebimur, haec boni consulite. Valet.

Dabamus Bratislaviae mense Ianuario a. MDCCCLIII.

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

IOSEPHUS IGNATIUS RITTER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. In seminario regio theologico interpretationem *libri secundi historiae ecclesiasticae Eusebiana* moderabitur bis per hebd. h. v. Privatum II. *Historiae ecclesiasticae partem alteram a Gregorio VII. usque ad nostra tempora* enarrabit quinquies per hebd. h. xi.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. Publice I. *Hexaemeron* explicabit *ratione habita rerum per astronomiam, physicen et geologiam detectarum* dieb. Merc. et Sat. h. xiv. II. *Repetitorium et disputatorium de rebus difficilioribus ex universa theologia* petitis instituet d. Mart. h. iiii. III. In seminario regio theologico *selecta capita ex S. S. patribus adiectis exercitationibus dogmaticis* interpretabitur d. Mart. h. iv. et v. Privatum IV. *Theologiae dogmaticae Christianae catholicae partem primam de Deo uno et trino eiusque proprietatibus* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. xii.

FRANCISCUS CAROLUS MOVERS, Dr. P. P. O. Publice I. *Antiquitates sacras Hebraeorum* exponet d. Merc. et Sat. h. vii. II. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas* moderabitur bis per hebd. Privatum III. *Librum Iobi* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. vii.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. Publice I. *De sacro totius anni ecclesiastici cultu* disseret d. Merc. et Sat. h. ix. d. Lun. et Ven. h. iiii. II. *Repetitiones de universa theologia practica* instituet d. Iov. h. iiii. Privatum III. *Theologiae practicae partem alteram et tertiam* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. Publice I. *Epistolas SS. Petri et Indae catholicas* exponet d. Ven. et Sat. h. x. II. In seminario regio theologico *sodalium exercitationes exegeticas in N. T.* moderabitur d. Sat. h. v. et vi. Privatum III. *Epistolas S. Pauli ad Corinthios* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. x.

